

The Electronic Manipulus florum

www.manipulusflorum.com

Oratio z cum fonte primo

Vide quam brevis oratio et omnium plena uirtutum, primus sermo quante est gratie. O homo, faciem tuam non audebas ad celum attollere, oculos tuos in terram dirigebas, et subito accepisti gratiam Christi! Omnia peccata dimissa sunt; ex malo seruo factus est bonus filius. Ideo presume non de operatione tua, sed de gracia Dei. Gracia enim saluati estis, apostolus dicit. Non ergo hic arrogancia est sed fides. Predicare quod acceperis non est superbia sed deuotio. Ergo attolle oculos ad Patrem qui te per lauacrum genuit, ad Patrem qui te per Filium redemit, et dic: Pater noster. Bona presumptio sed moderata patrem dicis quasi filius, sed noli specialiter tibi aliquid uendicare. Solius Christi est Pater specialis; nobis omnibus in communi est Pater quia illum solum genuit, nos creauit.

Ambrosius super illud Matthei VI.: Pater noster qui es in celis.

Vides, quam brevis oratio et omnium plena uirtutum. Primus sermo quantae gratiae! O homo, faciem tuam non audebas ad caelum adtollere, oculos tuos in terram dirigebas, et subito accepisti gratiam Christi, omnia tibi peccata dimissa sunt. Ex malo seruo factus es bonus filius. Ideo praesume non de operatione tua, sed de Christi gratia! Gratia, inquit, saluati estis, apostolus ait (Eph. 2:5). Non ergo hic adrogancia est, sed fides. Praedicare, quod acceperis, non est superbia, sed deuotio. Ergo adtolle oculos ad patrem, qui te per lavacrum genuit, ad patrem, qui per filium te redemit, et dic 'pater noster!' Bona praesumptio, sed moderata. Patrem dicis quasi filius; sed noli tibi aliquid specialiter vindicare. Solius Christi specialis est pater, nobis omnibus in commune est pater, quia illum solum genuit, nos creauit.

Ambrosius Mediolanensis (dubium), *De sacramentis*, 5, 4, 18-19 (CSEL 73, O. Faller ed., p.66, ll.10-23).